

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO HISTORICA  
DE  
SYMBOLIS  
EVCHARISTICIS,

QVAM  
*Publice Eruditorum disquisitioni  
proponunt*

PRÆSES  
M. JOHAN. FRANCISCUS  
BUDDEUS,  
Anclamo-Pomeranus.

ET  
RESPONDENS  
HENRICUS Schmid/  
Elstrâ-Lufatus.

*Ad d. 2. Novembr. M. DC. LXXXVI.*

*H.L. Q.C.*

---

WITTENBERGÆ,  
Typis C. FINCELII.

oll. diss. A  
53, 4

241. A 153 (4)

~~II. Schmid~~ E

67



G. D. B. V. DISTRICT OF HISTORIA

SYMBOLE

EVANGELIUM

Publications of the

M. JOHANNES KRISTOPHER



Archives of the

ET RESPONDENS

HENRICUS (HENRY)

Historical

And Secretary M. D. C. L. X. X. V.

Typis G. RINGELII

*Handwritten scribbles*

*Handwritten text*





§. I.

**Q**uo supra mortalium mentem divina majestas attollitur altius; eo se nostri causa svavius demisit, & cum omnem cogitandi vim superarent sanctiora mysteria; elementis quibusdam in oculos incurrentibus, ceu Symbolis divinis ea textit atque occultavit, ne perspicuum, omnique dubitatione majus, salutis nostrae documentum non extaret. Cum enim in has terras delapsus aeternus DEI filius, servi formam sumeret, sanctissimam pro sceleribus nostris animam positurus, nec beneficium in nos elargiri excelsius, nec illustrius amoris sui erga nos dare testimonium potuit, ignominiosae mortis aequè ac gloriosae immortalitatis monumentum. Ac tanto quidem instituti hujus observantiores esse convenit, quo luculentius Servatoris Praeceptum est, de PANE atque VINO in tam stupendis epulis adhibendo: quorum adeò Symbolorum, tametsi Ecclesia purior sanctam perpetuò curam egerat, incredibile tamen dictu est quam temerata subinde ac crebrò immutata fuerint à maleferiatis hominibus, quot dolis fallaciisque Servatoris sapientissima voluntas sit delusa. Cui argumento, quod DEUS benè vertat, animum nunc calamumque adjiciemus.

§. II. Vix autem radices egerat Ecclesia, cum quam plurimae ex inferno prodirent haereses, quae velut conjuratione quadam facta, ad labefactanda haec S. Eucharistiae Symbola conspirarunt. Primo enim statim Seculo, imò, quod Hammond (a) placet Apostolorum temporibus, proruperunt Gnostici, truculentum,

(a) *Henricus Hammond. Dissert. Proem. de Jure Episc. contra Blondellum. conf. Maresius Dissert. de Gnosticis part. II. p. 647. add. Natalis Alexander Hist. Eccles. Sec. II. cap. 3. art. 3. p. 19*



lentum hominum genus, & execrandum, quos optimo jure, βροχίτας, vocari Augustinus (b) dicit, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercuerunt. Coddianosideò appellatos, Epiphanius (c) tradit, quod convictum spurcissimorum hominum, & consuetudinem, quilibet averfaretur, qui sacris eorū non erat imbutus. Sub Gnosticorū a. nomine, quod ob excellentem doctrinam quam præ se ferunt, ita ostentant Nicolaitas, Carpocranos, Basilidianos, ac Valentinianos contineri, virusque suum tegere voluisse, neminem historię peritum fugit. In Ægypto porrò *εραπιωλικὸς καὶ Φιβιονίτας* nominari idem Epiphanius (d) Auctor est. Taceo nunc Barbelitarum, Philonitarum, Zacchæanorum, aliaque nomina, quæ vel fictitio cuidam Numini, vel Doctoribus suis ac Antesignanis debent. (e) Quam hominum colluviem, dolendum est, sic afflixisse Ecclesiam, ut nunquam tristior ejus facies extiterit, quam cum ista hæresi, ceu teterrimâ pesti afflaretur. Non cogitari potest, in ullo fidei articulo, tam gravis ac ineptus error, quem illi non defenderunt. Sed minus in omnibus peccasse videntur, si conferatur, cum atroci illo, ac nefando scelere, quo conspurcare sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, symbolaque divinitus instituta, ad suas detorquevere cupiditates conati sunt. Exponit ea Epiphanius, (f) qui ipse illorum impeditus illecebris, vix, evaserat; *μετὰ γὰρ τὸ μιγῆναι παῖδες πορνείας, περιεπιτέτοις ἀνατείνοντες, τὴν ἑαυτῶν ἑλασφημίαν εἰς ἔρανον, δέχεται μὲν τὸ γυναικίον, καὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ῥύσιν. τὴν δὲ τῆς ἀρρένης εἰς ἰδίαν αὐτῶν χεῖρα, καὶ ἴσανται εἰς ἔρανον ἀνανεύσαντες, ἵπτι χεῖρας δὲ ἔχοντες, τὴν ἀκαθαρσίαν. καὶ ἔτως αὐτὸ ἐδίξοι, μεταλαμβάνοντες, τὴν ἑαυτῶν ἀκαθαρσίαν. καὶ φασὶ τὸ τό σῶμα τῆς Χριστοῦ. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ δὸ τῆς γυναικὸς, ὅταν γένηται αὐτῷ γενέσθαι ἐν ῥύσει τῆς αἵματι &c.* Meritò ad execranda ista, & Atheniensium Eleusiniis longè fœdiora sacra, obstupescimus. Quod enim Ethnici occultare summo studio nitebantur, id admodum

(b) *ad Quod vult Deum T. VI. Op. p. 8.* (c) *Hæres. 26. pag. 85.*  
 (d) *Hæres. 26. p. 85.* (e) *Maresius l. c. p. 647.* (f) *Hæres. 85. pag. 99. ii. p. 86. conf. Baronius ad A. C. 120. n. 23.*



dum putabant decorum esse, si in propatulo fieret, fideique Christianæ conditionem, non aliter id ferre impudentissimè assererent. Hinc istæ in omnes Christianos exoneratæ calumniæ, utpote quibus ἀθεὸς ἴσταν, ἴουεσια δειπνα, Οἰδιποδείης μιζεις semper objiciebant Pagani, teste Athenagora. (g) De quibus Origenes (h) quoque & Tertullianus, (i) graviter conqvesti sunt. Equidem subit animum dubitatio, annon forsitan, in odium sectæ talia fuerint conficta, cum omnem propemodum fidem superet, reperiri homines, adeò omnis humanitatis immemores, ut vitam agant, bestiis longè deteriorem. Quod & Irenæo (k) accidisse memini, qui, adeò auditu horrenda de hujusmodi hominibus se accepisse scribit, ut non induci posset, ad credendum talia. Sed omni mox scrupulo me liberavit Augustinus, (l) qui instituto impuris hæreticis examine rem non secus se habere confirmat, itemque Epiphanius, (m) qui se ἀυτοπίλω talium facinorum sistit; ut in tantorum Auctorum iudicio nunc acquiescamus.

§. III. Nec contentus erat juratus ille hostis, hæc in Ecclesiâ excitasse turbas: sed mutatâ repente personâ novo acerrimoque impetu in tremenda hæc mysteria ferebatur. Placebant illæ artes, quibus olim primis imposuerat Parentibus. Tantam enim mortalium animis offundebat caliginem ut in serpentis figuram habitumque formatum, non tantum ceu Numen divinum, placarent precibus, veniamque supplices poscerent; sed in ipsis mysteriis quoque ad consecranda Symbola, ex caverna, quadam producerent, & evocarent. Luculentus hac de re apud Augustinum (n) sermo extat: *habent etiam (Ophite) verum colubrum, quem nutriunt & venerantur. Qui & incantante Sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit super altare, innixum spelunca, & oblationes illorum lambit, & involvens se circa eas regreditur ad speluncam: & ita confringunt oblationes in excharistiam,*

A 3

quasi

(g) Athenagoras Apolog. pro Christ. p. 31. (h) Origenes contra Celsum l. 6. (i) Tertullianus Apologet. c. 7. Baronius ad A. C. 120. n. 28. (k) Irenæus l. 1. c. 24. (l) Augustinus loc. cit. (m) Epiphanius l. c. (n) ad Quod vult Deum p. 9.



quasi à Serpente Christo, ut illi putant, sanctificatas. Hoc demum absolutissimum sacrificium, sanctissimamque Evcharistiam miseri isti appellant. Eoque progressa est illorum impietas, ut celebrata ea ratione, ac distributa Evcharistiâ, quilibet admoto ore serpentem exosculetur, sive cantionibus quibusdam ad mansuetudinem mollita sit bestia, sive alio Daemonis artificio reddita fuerit innocua. (o) . Ex hoc proinde serpentis cultu Ophitarum, sive sanguineorum retulerunt nomen, ac passim pro Valentini Gnosticorumque habentur progenie. (p) Quamquam Origenes (q) Euphratem quendam faciat hujus sectæ Auctorem; qui ipse & hæc addit, suo tempore nusquam apparuisse Ophitas, adeoque vel desuisse penitus, vel paucos admodum fuisse reliquos. Tertullianus (r) verò Nicolaitarum eos propagasse errores existimat, cui & accedit Augustinus, qui hoc serpentis cultu Nicolaitarum eos presisse vestigia testatur. Quæ omnia ejusmodi sunt, ut facile evincant, antiquam sanè esse hanc Ophitarum hæresin; sed mox in ipsâ, quod ajunt, herba suffocatam, funditusque deletam.

§. IV. Proximum est ut nunc sequantur Cataphrygæ, qui & ætate se excipiunt, et, si non impuritate pares, superiores tamen crudelitate Gnosticis meritò habentur. Mysteriorum enim eorum non sine horrore legas apud Augustinum, (s) qui ita illa describit: *Sacramenta perhibentur funesta habere: nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore, minutis punctiorum vulneribus, extorquent, quasi Evcharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farina, panemque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit, pro magno Sacerdote DEI.* De Quintilianis seu Pepuzianis & Priscillianis hæc narrat Epiphanius, (t) quod sanguine ex innocentis infantuli corpore summa credulitate expresso, in celebrandis peragendisque mysteriis suis usi fuerint. Hieronymus (u) verò Montanistarum id esse scelus affirmat, quibus Quintilia-

(o) Epiphanius hæres. 37. p. 272. (p) Baronius A. C. 145. n. 12.  
 (q) Origenes lb. 6. contra Celsum. (r) Tertullianus cap. 6. Apologet. (s) ad Quod vult Deum p. 14. (t) Hæres. 48. p. 417. (u) Hieronymus Epist. 57.



nos & Pepuzianos originem suam debere ostendit Baronius. (x) Sed unam eandemque fuisse Cataphrygum & Montanistarum sectam vel inscriptio hæreseos quadragesimæ octavæ apud Epiphanium nos edocet. Quod & Eusebius (y) approbat, dum Cataphrygum hæresin Auctore Montano, Priscilla, & Maximilla prognatam esse fatetur. Tascodrugarum denique nomen exinde sortiti sunt, quod inter orandum indicem manus digitum naso imponerent, ut animi tristitiam, & affectatam quandam sanctitatem præ se ferrent, ac si *Paxillonasones* eos appellarer. (z) Dogmata eorum quod attinet, tantis eos ac tam crassis fuisse implicitos erroribus, ut non facile revocari in viam potuerint, ex Can. VIII. Concil. Laodiceni (a) satis superque apparet. Non tamen defuerunt, qui eos ab execranda ista infantum cæde cupierunt liberatos; præsertim, cum Theodoretus (b) eximere eos hac culpâ videatur hisce verbis: *οὗτοι δὲ τῶν μυστηρίων τινὲς μὲν θευλλῆσι τινὰ, ἐκείνοι δὲ συνομολογῶσιν, ἀλλὰ συκοφαντίαν καὶ κατηγορίαν καλῶσι.* Cui & illud accedit quod apud Apollinarem Hierapolitanum Episcopum nulla hujus rei injiciatur mentio, qui tamen Montani deliria exactè sub censuram revocavit. Sed ista omnia tanti non sunt ut hæreticos istius criminis reos absolvere queant, obstante præter Augustinum & Epiphanium, Philastrii (c) quoque, Hieronymi (d) & aliorum auctoritate. Apollinaris sanè Hierapolitani silentium rem non conficit, cum de scriptis ejus nihil hodiè reperiaur, præter ea quæ apud Photium (e) extant.

§. V. Ceterum serie hac excludendi non sunt Attotyritæ, monstrosi & nominis & fidei hæretici; qui Montanistarum ceteroquin amplexi errores; in eo tantum differunt, quod panem &

(x) Baronius A. C. 173. n. 33. (y) Eusebius Hist. Eccles. lib. 5. c. 15. vid. Natalis Alexander. Sec. II. H. E. c. III. artic. 8. (z) Epiphanius Hæres. 48 p. 416. (a) vid. Concil. Laodicenum Gundlingii p. 74. (b) Theodoretus lib. 3. hæret. fab. c. 2. (c) Philastrius de hæres. c. 20. (d) Hieronymus l. c. (e) Photius in Bibliotheca Cod. 15. vid. Eusebius lib. 4. H. E. c. 27. it. Guilielmi Cave Chartophylax Ecclesiast. p. 14.



& caseum ad celebranda mysteria sua adhibuerunt. (f) Illudque somnium suum ut obtruderent mortalibus, ad Abelis & Caini (g) provocabant exemplum; quos Scriptura dicit, de frugibus terræ ac ovium obtulisse DEO sacrificium. Hæc illorum est consuetudo, qui opinionum fingunt portenta: nunquam res illis benè procedit, nisi Spiritus S. abutantur effatis, quæ tamen refutat optimè, qui fidelissimè recenser. Galatiam verò potissimum Artotyritarum fuisse sedem ex Hieronymo (h) constat, cujus quoque provinciæ fines, non videntur egressi: quin potius statim in initio nervum eis incisum existimaverim, ut non facile caput denudò erigere potuerint. Eademque hic militat ratio, quam Cicero affert, cum disputat, cur Pythii Apollinis cessaverint oracula? quia scilicet, minus esse creduli homines cœpissent.

§. VI. Majus robur Tatianorum consecuta est secta: quæ ab exiguis profecta initiis eò erevit, ut magnam Orientis inundaret partem. Tatianus siquidem natione Syrus, Philosophus Platonicus, (i) veram fidem à Justino Martyre edoctus non infeliciter vivente Justino (k) res Christianorum defendit. Sed illo per martyrium interempto Marcionis & Saturnini ei arrisserunt dogmata, quæ etiam mox profectus Româ in Orientem, undiq; disseminavit, additis quibusdam proprii ingenii commentis. Inter alia verò vinum ex Cœna Dominica penitus sublatum voluit; illudque ceu Diabolicum & Satanæ progeniem, execrabatur. Hinc Aquariorum, Hydroparastatarum, & Encratitarum nomen istis hominibus contigit. Movit hæc impietas Cyprianum (l) & Clementem Alexandrinum (m) ut non omnem putarent se perdituros operam, si contra istos insurgerent, reprimerentque illorum spiritus. Obtendebant equidem Encratitæ metum ebrietatis, ex vino sub-

ortæ;

(f) Epiphanius *Heres.* 48. p. 429. (g) *Gen.* IV. Augustinus *l.c.* p. 11. Hieronymus *Præfat. in Epist. ad Galatas. conf.* Philastrius *de her.* c. 77. (i) Baronius *ad A.C.* 173. n. 1. 2 seq. (k) Irenæus *lib.* 1. c. 3. Epiphanius *heres.* 47 p. 399. Augustinus *ad Quod vult.* p. 17. Natalis Alexander *Sec. II. cap. III. Art. 6.* (l) Cyprianus *lib.* 2. *Epist.* 3. (m) Clemens Alexandrinus *in Pedagog.* l. 2. c. 2. *conf.* Theodoretus *heret. fab.* l. 1.



ortæ; sed respondet Cyprianus: *Calix Dominicus, sic bibentes in-  
ebriat ut sobrios faciat, ut mentem ad spiritualem sapientiam redi-  
gat, &c.* His non absimiles erant Severiani, à Sevro quodam hæ-  
resiarcha ita appellati; pari enim studio - omne vitabant vi-  
num & serpentem quæ seduxit Evam in vitem mutatum asserere-  
bant. Quibus nescio an accedant quoque quidam ex Orthodoxis,  
Veteris Ecclesiæ Christianis, qui tempore persecutionis aquam  
loco vini offerre consultius existimabant, ne odore vini velut in-  
dicio Christiani cultus detegerentur. Sed graviter increpat eos  
Cyprianus, *quomodo, inquit, pro Christo sanguinem fundere pos-  
sumus, qui Christi sanguinem erubescimus?*

§. VII. Nunc ordo & instituti postulat ratio, ut eam quoque  
exequamur Symbolorum diversitatem, quæ summas maximeque  
periculosas inter Ecclesiam Græcam Romanamque peperit conten-  
tiones. Græcæ enim ceteraque Orientales Ecclesiæ panem fer-  
mentatum, in administranda Cœna Dominica, usurpabant:  
eosque qui azymo utebantur Azymitas per contemptum vocare  
solebant. (n) Extat hac de re confessio istius Ecclesiæ apud Metro-  
phanem Critopulum; (o) ἐν τῷ κυριακῷ δεῖπνῳ ἀπαιτεῖται  
πρῶτον ἡ ὕλη, ἢ ὑπὸ τῆς κρείσσης ὁδοθεΐσα. ἐστὶ δὲ αὕτη ἄρτος ἐν-  
ζυμῶς εἰς καὶ κρέμα. Contra Latini & Occidentales non admit-  
tebant, huic enzymorum usum, quin potius ne talis substitueretur  
panis, Conciliisque legibusque caverunt Ecclesiasticis, & hoc quoque no-  
mine Græcos schismatis cujusdam reos agere non dubitabant. Ce-  
terum non possum hic assentire Sirmondo (p) qui post Photianum  
illud Schisma panes azymos demum in S. Cœna fuisse subrogatos  
contendit; eò quod inter capita accusationis, propter quæ Pho-  
tius (q) litem movisse dicitur, controversiæ hujus intermittatur  
mentio; qui tamen multò leviora, scilicet, quod Clerici rasis  
uterentur barbis, quod non eodem die celebrarent Pascha, con-  
gesit, illisque objectavit. Illud apud alios quoque pro evicto habe-  
tur,

- (n) Sigebertus in Chron. ad A. 1054. vid. Carolus du Fresne T. II.  
Glossar. p. 381. (o) Metrophanes Critopulus Confess. Eccles.  
Orient. c. 9. (p) Sirmondus T. III. Dissertat. de Azymis p. 17.  
(q) Leo Allatius de Consensu Utriusque Eccles. l. III. c. 7. n. 10.



tur, eo tempore cum Michael Cerularius Constantinopolitanae praesesset sedi, primum hac de re fuisse coeptum controversi: ipse quippe Patriarcha Tranensem in Apulia Episcopum condemnavit, quod azymis sacrum faceret. (r) Cujus auctoritate fretus paulo post Nicetas Stethatus s. Pectoratus scriptis in publicum emisissis, Romanorum refutavit dogmata, quae de panibus azymis fovebant. Quod quidem contra opinionem eorum est, qui Platinam (s) secuti ad Alexandrum I. P. R. institutionem originemque hujus consuetudinis referunt. Apollinarem vero quendam haereticum hujus rei facere Auctorem, quod ex Graecis voluerunt nonnulli, non procul ab injuria abest. Hunc quippe Vincentius Lerinensis (t) statuisse docet, in ipsa Servatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse cui mens & ratio non esset. Cui errori ut nubem objiceret Apollinaris, sic praerepisse suis, ut panibus azymis mysteria conficerent; quod enim anima est corpori: id fermentum pani esse ille agebat. Ex quo colligunt primum hujus instituti inventorem esse Apollinarem; ab eoque morem istum Romanam accepisse Ecclesiam,

§. VIII. Nobis autem & invicta rei veritas, & cui maxime studemus orthodoxia svadet, panes non fermentatos à Christi institutione, semper obstinuisse in vera Ecclesia. Quod quidem à multis imprimis Ecclesiae Orientalis defensoribus, vocatur in dubium, qui Christum enzymis primam hanc instituisse Coenam, docent acerrimeque propugnant. (u) Et ut scenae suae porro inserviant, illud quoque obtrudere nobis conantur, quod anticipavit Christus esu agni paschalis Judaeos, adeoque eo die celebraverit festum, quo panis fermentatus nondum deficiebat. Sed profecto haec res nullum momentum habet nec causa est, cur sententiam mutemus. Demus enim illud, Servatorem non eodem die, quo Judaei solebant, Paschatos egisse festum; non ta-

men

(r) Hilarius ad Chronicon Cyprii pag. 155. (s) Platina in vita Alexandri I. p. 17. (t) Vincentius Lerinensis in Commonit. c. 17. p. 229. (u) Metrophanes Critopulus Confess. Eccles. Orient. p. 93.



men eâ, quæ Græci volunt, ratione, hæc anticipatio sese habet  
Judæi quippe sive ob concursum festi & Sabbathi, sive quod Ma-  
jorum addicti essent traditionibus, agni Paschalis maclationem,  
contra edictum legis Mosaicæ in diem decimum quintum mensis  
Nisan distulerunt. (x) Servator verò ne hac parte legem evertere  
videretur, die decimo quarto Nisan, sicut DEUS jussit, agnum  
paschalem comedit. Multo minus recessit à mandato divino,  
suntis panibus fermento expertibus, cum de tempore divini-  
tus præscripto adeò fuerit sollicitus: ut adeò fumum mihi vendita-  
re videantur, dum ex hac temporis diversitate, causæ suæ patroci-  
nium quærent.

§. IX. Equidem illud nondum expeditum est, cur apud quos-  
dam mediæ ævi Scriptores S. Eucharistia fermenti nomine veniat:  
cum facile ex eo quis possit adduci ad credendum, more Græco-  
rum panibus ἐν ζύμοις tunc temporis administratam fuisse Cœnam  
Domini. Occurrit hæc appellatio non semel in *Epistolâ Innocen-  
tii ad Decentium*, in vitâ *Melchiadis & Siricii*, cujus argumentum  
prolixè recenset cum Baronio, (y) Sirmondus. (z) Adeò obscu-  
rum verò & involutum negotium quibusdam visum est, ut Caro-  
lus du Fresne (a) re probè perpensâ, nihil certi pronunciare  
ausus sit. Non tamen obstat, quominus accedamus Baronio;  
quod Auctores isti per fermentum ad alias parœcias mittendum  
nihil aliud intelligant, quam evlogias. (b) Quo verbo expri-  
munt partes consecrati panis, quas moris erat in veteri Ecclesiâ,  
mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos declarandæ charitatis  
ergo, & consensus in fide. Catechumenis etiam erant loco sa-  
cramenti, quemadmodum disertè eas appellat Augustinus (c) la-  
xiorè, ut videtur notione, Casaubono (d) judicante, quia preci-

B 2

bus

(x) vid. Bochartus *Hieroico part. I. lib. II. c. 50. p. 560. Scaliger  
de Emendat: Temp: l. 6. p. 266.* (y) Baronius ad A.C. 313.  
n. 54. (z) Sirmondus *Disfert. de Azymis c. 5. p. 124.* (a) in  
*Glosar. T. II. p. 382.* (b) Casaubonus *Exercitat. XVI. contra  
Baron. p. 460. conf. quog; Gabriel Alaspineus de vet. Eccles. rit.  
lib. I. Observat. 8. p. 38. & Gregorius Turonensis lib. 4. c. 16.*  
(c) *de peccat. meritis & remis. l. 2. c. 26.* (d) *Exerc. XVI. p. 46.*



bus consecrabantur. Meminit harum Justinus Martyr, (e) easque suo jam tempore transmisisse Presbyteros peregrinis ut signum pinguisque amicitiae essent nos edocet. Et quamvis in Can. XIV. Concilii Laodicensi decretum sit: *περὶ τῶν καὶ τῶν ἁγίων εὐλογιῶν καὶ τῶν ἑορτῶν, τὸ πᾶσα εἰς ἑτέρας παρεργίας ἀπέμπεσθαι*: mansit tamen haec transmittendi evlogias consuetudo in Ecclesia Romana, & ad quintum ferme seculum perduravit; adhibitam eam consecrandi formulam quam ex Concilii Nannetensis praescripto recenset Rhegino Abbas Prumiensis. (f) Fermenti vero nomen cur evlogiis inditum sit; causam conferunt in discrimen panum, in summomysterio adhibitorum, nec proinde est dubium, Innocentium, ceterosque Auctores cum de fermento hoc ad alios perferendo loquuntur; illud indicasse Symbolum, quo ob catholicae doctrinae consensum, fideles impertiebantur. Quicquid etiam contrarii velint Mabillonius (g) & Cardinalis Bona, (h) itemque Sirmondus, quae nec causae praesidium inveniunt, & a se ipsis disident. Non vero capio eam, quam reperisse sibi visus est rationem Sirmondem (i), cum Eucharistiam fermentum dici arbitratur, *non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vicem praestaret, eisque unionis inter se vinculum esset; sicut fermentum massa cui commiscetur.*

§. X. Dum in his sumus praetermittendum non est, quod Justinus (k) Martyr annotavit: *εὐχαριστήσαντες δὲ τὸν ἀγαθὸν καὶ ἐπευφημήσαντες πάντος τὸν λαόν, οἱ καλέμνοι παρ' ἡμῶν Διάκονοι διδόνασιν ἐκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τῶν εὐχαριστήσαντων ἄρτους, καὶ οἶνον καὶ ὕδατος.* Ex quo Metrophanes (l) vini cum aqua commistionem perspicue probat. Cui illud quoque Scripturae (m) adjungit: *Sapientia maculavit victimas, & in*

(e) Justinus Apolog. II. p. 97. (f) Rhegino Prumiensis lib. I. de disciplina Eccles. c. 329. conf. Gundling. ad Eustratii Joannidis Zialonski Eccles. Orient. p. 119. (g) Mabillonius de Azymo cap. 10. (h) Bona lib. I. Rerum Liturgie: c. 23. n. 16. 17. (i) Sirmondus l. c. p. 127. (k) Justinus Apol. II. p. 79. (l) Metroph. Critopulus l. c. p. 98. (m) Proverb. IX. 10.



*poculo miscuit vinum suum.* Nec sine mysterii significatione id Cypriano (n) transit cum hæc aquæ & vini mixtura unionem credentium cum Christo quasi ad oculum nobis commonstret. pariqve difficultate & aqua à vino & fideles à Christo separentur. In eo tamen Cyprianus nimium sibi indulgit, quod præcepti necessitate, hoc calicis temperamentum, ut Irenæus (o) vocat, fuisse constrictum existimat. Quod fortasse etiam in animo habuerunt Patres Concilii III. Carthag. (p) dum jubent, *ne quid in Sacramento hoc offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est; panis & vinum aqua mixtum.* Sanè Servatorem ipsum vino aqua temperato in institutione S. Cœnæ usum esse, & conditio istius, in qua vixit regionis, & consuetudo apud Judæos recepta, (q) facile mihi persuadet; ad cuius exemplum se composuisse Apostolos veteremqve Ecclesiam, nemo negabit, qui secum reputat, naturam istius vini, quale fert Palæstina, non permisisse, ut sine aquæ affusione illud biberent. Quare non satis sibi constat Platina, (r) hanc consuetudinem ab Alexandro I. originem trahere asserens. Neque mandatum extat cuius necessitate ad hanc commiscendam legem teneamur. Præter meritum igitur Armenos à Synodo Trulana condemnatos esse rectè pronuntiat Zieglerus (s) noster, quod vino mero sine mistione usi fuerint; cum mixtura illa prorsus inter adiphora sit referenda.

§. XI. Plane fieri in tanta rerum vicinitate nequit, quin panem vino tinctum delibemus quoque, quem apud Græcos pariter atqve Romanos Eucharistiæ sustinuisse vicem, ex multis Auctorum testimoniis liquet. Viam huic corruptelæ patefecit Eucharistia infantibus & ægrotis porrecta. (t) Cum enim hæc apud

B 3

omnes

(n) Cyprianus lib. II. Epist. III. (o) Irenæus lib. 4. c. 57. (p) Can. IV. Concil. III. Cart. (q) R. Mardochai Japhe in. Lebusch Techelet fol 169. (r) Platina in Alexand. I. p. 17. (s) in Notis ad Francisci de Roye Institut. Jur. Can. lib. II. Tit. V. conf. quæ ex Peñorato & Petri Petreji Chron. Moscovit. part. 6. recenset Rixnerus de vet. Christ. circa Eucharist. rit. p. 133. (t) Metrophanes p. 99. it. Abraham Ecchellensis in notis ad Can. Arab. Concil. Nicani T. II. Conc. p. 409.



omnes invalesceret opinio symbola externa converti in corpus & sanguinem Domini: ob metum effusionis hunc quoque morem intingendi panem excogitarunt. Cetetum opposuit se Julius II. P. R. & singulari decreto panis intinctionem, tanquam mandato divino & purioris Ecclesiae instituto, repugnantem, penitus abrogare voluit: concessa tamen postea est, in Concilio Turonensi; ac constitutum, ut aegroti hoc panis genere in S. Coena pascerentur, annexâ hac consecrandi formula: CORPUS ET SANGVIS DOMINI, PROFICIAT TIBI AD VITAM AETERNAM. (u) Sed non ferendum amplius hunc depravatum morem judicarunt Patres Concilii (x) Claromontani; ideoq; *Can. XXVIII.* statutum est: ut separatim corpus & sanguis sumeretur. Moscovitas Graecorum traduces ferunt hodiernum panem vino miscere, Sacerdotemque sumtam è calice cochleari particulam porrigere manducanti. Quorsum verò hac panis intinctio comparata fuerit facilè quis perspiciet, modo consideret, eo tempore jam agitata fuisse consilia inter Monachos, de calice auferendo Laicis, solisque Clericis vendicando. Cui quoque geminum est illud de vino per cannam instillando inventum, à nobis vel ideò non prætermittendum, quòd ab instituto non penitus abhorret. Seculo nimirum XIII. admodum inclinatis Ecclesiae rebus, cum omnes magna aliqua erga S. Evcharistiae Symbola incessisset religio, ne fortè gutta de sanguine, (ut superstitiosè putabant) Christi periret, cannas sive fistulas quasdam calicibus aptabant. (y) Hoc modo Laici bibere iussi, sanguinem Domini accipiebant. Hospinianus (z) idem de Pontifice R. refert, illum eo tempore solitum fuisse vinum consecratum ex calice sugere. Quin & eundem in quibusdam Marchiae Brandenburgicae Ecclesiis obtinere hodiernum morem CL. Difenbachius (a) annotat.

(u) *Rhegino Abbas Prumiensis lib. I. de disciplina Ecclesiast. c. 70.*

(x) *vid. Gundlingius ad Eustratium p. 120. & quem ille citat. Petrus de Marca ad Can. 28. Concil. Claromont. T. X. Conc. p. 581.*

(y) *vid. Bona lib. I. rerum liturg. c. 25. p. 473. it. Carolus du Fresne Glossar. part. II. p. 1007. (z) Hospinianus Histor. Sac. l. IV. p. 241. vid. Rittersbusius ad Ligurinum pag. 62.*

(a) *de Morte Henrici VII. p. 317*



tat. Quæ cum ita se habeant artes Romanensium dispalescunt, quibus dudum conati sunt subducere Laicis vinum, ac poculum ablulendi saltem causa substituere, contra institutum Christi, quo sancte standum erat.

§. XI. Hoc igitur restat ad pertexendum, quem necere ingressi sumus sacrarum oblationum catalogum: ut in originem calicis, ut vocant, ablutionis paucis inquiramus. Et quamvis certò non constet, quo tempore ille obtrusus potius quam introductus sit: nihil tamen impedit, quin à Concilio Constantiensi, derivemus ejus natales; quo communio sub una tantum specie primum publicè stabilita est. (b) Ante illud verò Concilium, cum fraudibus adhuc calicis ageretur ablutio, institutum est, ad evitandam effusionem sanguinis, ut duæ vel tres guttæ consecrati vini conservarentur in vase, cui aliud infusum est, quod contactu guttularum sanctius est redditum. Ita rem exponit Durandus: (c) *In quibusdam locis, post summptionem Corporis & Sanguinis Christi, aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, & superinfunditur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant.* Sed non convenire hunc morem cum hodierna, ut vocant ablutione, Calixtus observat: id tamen probatione non indiget, originem ejus hinc esse petendam. Proinde in partes vocandus non erat Chrysostrmus, quasi esset ille primus ablutionis inventor. Hanc in rem allegant Sozomenum, qui Chrysostrmum refert, monere consuevisse, ut post communionem aut aquam aut panem degustarent, ne una cum saliva quicquam sacrum ex ore ejicerent. Ab aliis verò jam dudum observatam est, non reperiri talia apud Sozomenum (d) causaque suæ diffidere ex eò apparet, qui ad fabulas istas confugiunt. Quare rectius isti sentiunt, qui ob Waldenses calicem ex cœna Domini sibi eripi querentes & agrè ferentes, hunc substitutum abluendi morem existimant; ut eò tutius incautus illuderetur.

§. XIII. Denique in mentem veniunt, quæ ad externam consecrati panis figuram pertinent. Nam & hinc insignem quandam deprehendi varietatam. Sunt, qui rotundam placentularum figuram, in veteri obtinuisse Ecclesia inficias eunt. Sed Servator ipse usus est placentâ & rotundâ & prorsus tenui; (e) quales in usum Paschatos confici solebant. Nec displicuisse puriori Ec- (b) *Bona lib. II. rerum Liturg. c. 18. p. 862.* (c) *Durandus in Rationali Div. Offic. lib. IV p. 172 ex Panormitano eadem probat Calixtus de Com sub utraq; p. 220.* (d) *vid. Difenb. de morte Henr p. VII p. 319* (e) *R. Mardochai Japhe in Lebhusch. Thechelet. fol. 165. (f) in Ancor*



elefiæ hujus orbicularum usum, Epiphanius (f) testis est:
 ὁμοῦν δὲ σὺν ἰσὸν εἶναι, ἀδὲ ὁμοιον, ἢ τῆ ἐνοσάρκῃ εἰκῶνι, ἢ τῆ
 ἀσφάτω θρότητι, ἢ τοῖς χαρακῆσιν τῶν μελῶν. τὸ μὲν γὰρ εἶναι
 εὐγγυλοειδὲς καὶ ἀναίαθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. Ubi Ma-
 resius (g) vocem εὐγγυλοειδὲς frustra sollicitat, ac sic non ro-
 tundam sed oblongam denotaret figuram. Præterquam enim, quod
 rarò eam fortiatur significationem apud Græcos Auctores, quam
 vult Maresius; ex illorum quoque Scriptorum testimonio, qui pla-
 centis istas denarii habuisse formam tradunt, elacet, quid de hac
 interpretatione sit judicandum. Testatur illud Durandus, (h) eas
 in modum denarii olim fuisse formatas, *tum quia panis vite pro*
*denariis traditus est, tum quia idem denarius, in vineâ laborantibus*
*in premium datus est.* Majori tamen olim quantitate, præcipuè
 in Ecclesia Orientali placentas fuisse adhibitas, ut in plures unus
 panis distribui potuerit, ex confessione Metrophanis abundè com-
 monstratur. Cui & illud accedit, quod in Epistola Ignatio (i)
 adscriptâ unius panis fiat mentio: *ἓνα ἄρτον κλωντες ὁ θεὸς φάρ-*
*μακον ἀθανασίας, ἀντίδωκε τῷ θεῷ μὴ ἀποθανεῖν.* Unde illud evin-
 citur, panem istum olim fuisse fractum, in quibusdam quidem
 Ecclesiis in tres, in aliis verò in novem partes; illasque admodum
 fuisse minutas, tum ex voce *θεύπησαι*, quo Ignatius utitur, tum
 ex micarum appellatione ostendit Casaubonus. (k) Minores
 tamen paulatim eas evasisse observo, quod parci & infrequentes
 essent Laici in Sacramenti hujus usu; eoque magis diminutum pa-
 nem, quo minor adesset multitudo. (l) Eodem quoque tempore
 fractio panis intermitti cœpit, idque non immeritò, cum & hæc
 consuetudo nullo mandato inniteretur. Quemadmodum autem
 in eo omnes ferè conveniebant [m] Ecclesiæ ut rotundam panis fi-
 guram reciperent: ita panibus istis diversas imprimebāt imagines.
 Romanorū enim hostiæ sive oblatæ, ut dicuntur, exhibebant duos
 agnos ligatos, ac in sacrificium offerendos; in alterâ parte calicem
 cum rotundis placentulis cruce insignitis. Græcorum autem pane
 præter crucis figurâ, hæc præ se ferebant verba: *Ἰησοῦς Χριστὸς νεκρῶν*;
 pro quibus Alexandrini substituebant: *ἀγιὸς ἰχθυὸς*. Syrorum
 denique nihil nisi | quamplurimas cruces repræsentabant. Ita vero
 nobis coronidem imponere leges sanciant & jubent.

*rato p. 60. (g) Dissertat. de S. Cænâ part. II. p. 60. (h) in Rat. Offic.*  
*Div. lib. 4. c. 41. (i) Epistola Ignatii ad Ephes. citante Rittersbusio*  
*ad Ligurinum p. 61. (k) Exerc. 16 p. 466. (l) Ferdinandus de Men-*  
*doza ad Concil. Illiberit. T. I. Conc. p. 1196. ad Gundling. ad Eustrat.*  
*p. 118. (m) Sirmandus de Azymis p. 122.*

Coll. olim A 153, 4